



E *Synecdoche* dicturus est SAMUEL Schuler pius haecenus, probus ac diligens stipendij Mättigiani alumnus. *Synecdoche* apud Rhetoras Tropum quemdam primarium significat, quo *totum* pro *parte* aut *pars* pro *toto* usurpatur. Ipsa vox origine suâ Græciam pro parente laudat, nec negare poterit, siquidem patrini sunt  $\psi$ ιλόν &  $\chi$ , quas literas sibi tanquam suas numquam vindicavit Latium, unde vel *permutando* occultant vel *detruncando* interpolant: Testes sunt, *lacrima, triumphus, carus, letum, tus, sus, mus* &c. Henricus Stephanus in *Indice Lexici* ita explicat: “*Συνεκδοχή*, figura Grammatica, quam & Latini *synecdochen* appellant, hinc *συνεκδοχικὸς* *synecdochenbens*: Gaza *synecdochicam* constructionem esse vult, quum dicitur *ἀλγὼ τὴν κεφαλὴν*. Invenitur & adverbium *συνεκδοχικῶς*, *synecdochicè*, *per synecdochen*. Scholiastes Apollonij Rhodij, *συνεκδοχικῶς πηστὴν ὁ ἀπολλώνιος πόδιον δημὸς ἀντὶ τῆς χώρας καὶ τῆς γῆς*. Quidam *Συνεκδοχή* interpretatur *Comprehensio*, itidemq; *συνεκδοχικῶς*, *comprehensim*, sed *συνεκδέχομαι*, unde est *συνεκδοχή*, sonat potius *Unà excipio seu recipio*“. Quod autem verba *Quintilianii* insuper addit ex *lib. IIX. Institut. Orator. c. 6.* in ijs fallit & fallitur, ex parte, *Fabius*, quod monstravit *Vossius* in suis *Institution. lib. IV. c. 8. part. 1. § c. X. part. 1.* Ipse verò modos seqq. enumerat & lectioribus exemplis illustrat: *Synecdochen* (1) *Generis* (2) *Speciei* (3) *Totius essentialis* (4) *Partis essentialis* (5) *Totius integralis* (6) *Integri illius*, quâ personæ Christi tribuitur, quod unius proprium est naturæ: *Sed hæc non sunt satis sana, atq; ὑπερλόν τι φοvent, uti prolixius nostri deducunt & discutunt Theologi in Articulo de personâ Christi*: (7) *Partis integralis* (8) *Speciei pro Individuo*, & vicissim, quæ est ipsa *Antonomasia* (9) *Numeri* (10) *Speciei pro specie*, quam planè rejicit & refellit.

Edidit ante hos *sexaginta & duos annos* elegantem atque pubi scholasticæ utilissimum libellum *Daniel Vechnerus Aurimontanus*, quem inscripsit *Hellenolexian*, inque eo adductis exemplis monstrat

imi-